

Ergo non solum rerum contingentium, sed etiam necessariarum rationes sufficientes sunt.

30. *Probatur 3^a pars.* Omnes veritates tam necessariae, quam contingentes in effatum *rationis sufficientis* resolvi possunt ¹. Atqui illa veritas, in quam aliae resolvuntur, est principium earum. Ergo effatum *rationis sufficientis* est principium veritatum tum necessariarum, tum contingentium.

31. *Maior* ita demonstratur: Si cuiusque rei sive contingentis, sive necessariae aliquid esse debet, per quod ad certo modo existendum determinatur, consequens est in resolutione cuiusque veritatis cum contingentis, tum necessariae posse tandem perveniri ad aliquid, ex quo, cur potius uno, quam alio modo existat, intelligatur. Atqui id est, quod ratio sufficiens dicitur. Ergo omnes veritates tum contingentes, tum necessariae in effatum *rationis sufficientis* resolvi possunt.

32. *Probatur 4^a pars.* Illud principium omnium primum dici nequit, quod in aliud se superius resolvitur. Atqui effatum *rationis sufficientis* in principium *contradictionis* resolvitur. Ergo effatum *rationis sufficientis* primum principium dici nequit.

33. *Minor* probatur hoc modo: Si nihil in re est, per quod ipsa ad certum modum existendi potius determinatur, quam non determinatur, consequens est posse eandem rem certo quodam modo simul esse, et non esse. Atqui id contradictionem involvit. Ergo effatum *rationis sufficientis* in principium *contradictionis* resolvitur.

CAPVT II.

De entium essentia, existentia, et proprietatibus

Postquam disseruimus de ente absolute spectato, prout nempe quidquid in rebus nobis occurrit, velut quoddam *esse* a nobis intelligitur, ad diversas rationes, quas in *esse* rerum creatarum apprehendimus, nempe *esse essentiae, existentiae, et proprietatum* exponendas progrediamur.

¹ *Resolvi possunt*, inquam, non debent, quia, quamvis certum sit nihil esse sine ratione sufficienti, tamen non semper rationes rerum sufficientes detegere nobis licet.

ART. I. *Notiones essentiae, existentiae, et proprietatum declarantur*

34. *Esse essentiae*, vel simpliciter essentia definitur, *id, quo aliquid in certa rerum specie collocatur*, vel *id, per quod res est id, quod est, ac a ceteris rebus discriminatur* ¹. Essentia dicitur quoque 1^o *ratio rei*, quia ipsa est ratio, ob quam res est id, quod est; 2^o *quidditas*, quia est id, quo respondetur ad quaestionem, *quid res sit* ²; 3^o *forma*, quia forma, ut suo loco videbimus, est id, quo res in specie constituitur, atque distinguitur a materia, per quam species in aliquo individuo determinatur; 4^o *natura*, quia ipsa est principium, ex quo proprietates, et operationes rei *nascuntur*, seu promanant.

35. *Existentia* autem variis modis exponi solet, qui ad idem recidunt. Ipsa enim dicitur *actus, quo res, sive essentia est, vel id, quo res, seu essentia extra nihilum sistitur*, vel brevius, *actualitas essentiae*.

36. Denique *esse proprietatum*, vel *attributorum* est illud, quod essentiae iam constitutae adiicitur, ab eaque sive necessaria, sive contingenter promanant.

ART. II. *Lockii et Giobertii error circa cognitionem essentiae rerum refutatur*

37. Lockius essentias in *nominales*, et *reales* distinxit. Reales essentiae, eius iudicio, sunt quae physice res constituunt; *nominales* vero, quae a rerum constitutione haud pendent, sed opus sunt nostrae mentis, quae revocat varias res ad nonnullas species, et confingit generalia quaedam nomina ad illarum discrimen designandum. Docuit praeterea *nominales* quidem essentias, numquam vero reales a nobis cognosci ³. Eandem sententiam tuitus est Giobertius; hic enim essentias, quas Lockius *nominales* appellavit, *rationales* vocavit, atque essentias reales

¹ Hic alter modus definiendi essentiam consequitur primum, nam res ex eo, quod ad certam speciem pertinet, efficitur id, quod est, atque a ceteris rebus discriminatur. Ex eo autem, quod res per essentiam est id, quod est, efficitur, quemadmodum s. Thomas inquit, ut ipsa *per essentiam, et in essentia habent esse*; *De Ente, et essentia, c. 1.*

² Hanc ob causam dicitur etiam *definitio rei*, quia definitio, ut diximus in *Logica* (p. I, c. 1, art. 10, p. 20, vol. I), denotat quid res sit.

³ *Essai sur l'entend. hum.*, lib. III, c. 3, § 15-17.

non solum impervias nostro intellectui, sed in seipsis *inintelligibiles*, sive *inexcogitabiles* esse pertendit ¹.

38. Huiusmodi sententiae absurditas hac propositione evincitur: *Mullarum rerum essentiae reales a nobis cognoscuntur.*

Probatur. Dubitari nequit, quin multis in rebus quasdam differentias concipiamus, quae illas constituunt in determinato entium gradu a ceteris distincto, suntque veluti fontes, unde earum attributa pullulant. E. g., quisquis admittit bruta differre a plantis, et plantas a lapidibus, eo quod bruta sentiunt, non vero plantae, et plantae vegetant, non autem lapides. Atqui huiusmodi differentiae sunt reales, ipsamque rerum constitutionem, hoc est, essentiam ingrediuntur; nam sive cogitentur, sive non cogitentur, sive his, sive aliis nominibus illae appellentur, sive ad has, sive ad illas species a nobis revocentur, semper verum est bruta sentire, ob idque a plantis differre. Ratum igitur, firmumque sit reales essentias rerum a nobis cognosci ².

39. Praeterea, « res, aiente Aquinate, per suam essentiam cognoscibilis est, et in specie ordinatur, vel in genere ³ »; quapropter, si realis cuiuslibet rei essentia nos lateret, haud possibile foret nos scientiam rerum acquirere, quia omnis nostra cognitio non circa ea, ex quibus res constituuntur, sed circa ea, quae de rebus nobis apparent, versaretur. Atqui id non nisi a Scepticis asseri potest. Ergo, si nullius rei essentia realis compta nobis esset, purus, putusque Scepticismus obtineret.

40. Illud contra Giobertium speciatim adnotandum est, quod ex eius sententia hoc maximum absurdum etiam fluit, nempe ne Deum quidem essentias rerum cognoscere posse. Etenim essentiae rerum, ipsius Giobertii iudicio, sunt immutabiles. Ergo si ipsae *obiective* in se inexcogitabiles sint, numquam potest fieri, ut intelligibiles evadant.

¹ *Introd.*, lib. I, c. 8, not. 2.

² Advertito essentias rerum non raro non *a priori*, sed *a posteriori* a nobis cognosci, ita nempe ut non ex seipsis eas comperiamus, sed ex earum proprietatibus, et accidentibus detegamus (Cf s. Thom., *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 2 ad 3). Quod autem de cognitione distincta essentiarum rerum intelligendum est; si enim de cognitione confusa agatur, essentia rerum materialium, ut saepe diximus, est primum obiectum intellectus nostri, ac proinde illam primo, et non ex eius proprietatibus, et accidentibus apprehendimus.

³ *De Ente, et essentia*, c. 2.

ART. III. *Nonnullae quaestiones ad notionem essentiae magis magisque declarandam valde utiles solvuntur*

41. Tres quaestiones in hoc articulo investigandas suscipimus, nempe 1° utrum essentiae rerum sint simplices, an compositae; 2° utrum *esse* essentiae ab *esse* existentiae distinguendum sit, nec ne; 3° quam ratione essentiae rerum sint aeternae, necessariae, et immutabiles. Quid circa has quaestiones sentiendum sit, ex sequentibus propositionibus planum fiet:

Prop. 1°. *Omnes essentiae sunt compositae ex quibusdam principiis, quae tamen ita inter se cohaerent, ut, aliquo illorum sublato, essentia illico pereat* ¹.

Probatur 1° pars contra Cartesianos ². Quaelibet essentia eiusmodi esse debet, ut habeat tum aliquid, per quod cum aliis consentit, tum aliquid, per quod a ceteris discriminatur; quia, si primum deesset, res, quae in mundo sunt, nullo nexu continerentur; sin alterum, omnes res unum, idemque forent. Quapropter, cum res definiuntur, sive earum essentia significatur, adhibetur *genus proximum*, quod complectitur aliquid commune rei definitae cum aliis, et *differentia*, qua exhibetur aliquid, ex quo res definita a ceteris rebus discriminatur ³. Ergo essentiae rerum ex variis principiis sunt compositae.

42. *Probatur* 2° pars. Essentia rei constituitur ex omnibus iis, quibus res est id, quod est. Ergo, subtracto vel minimo eorum, quibus res est id, quod est, essentia rei pereat necesse est. Hinc Scholastici sapienter decreverunt essentias rerum consistere in *indivisibili*, et numerorum instar se habere, quia si ex numero vel unitas tantum subtrahatur, non manet idem specie numerus.

43. Prop. 2°. *Inter essentiam, atque existentiam realis distinctio admittenda est* ⁴.

¹ Hic loquimur de essentis rerum creatarum, quia, cum Essentia, sive Esse Dei sit simplicissimum, nulla in Eo compositio inveniri potest.

² Cartesiani censuere essentias rerum in unica proprietate consistere, atque hanc, quod ad spiritum attinet, esse *cogitationem*, quod ad corpus esse *extensionem*. — ³ Cf *Log.*, p. I, loc. cit., p. 21, vol. I.

⁴ Id quoque ad res creatas tantum spectat; in Deo enim, ob infinitam Eius simplicitatem, omnia unum, idemque esse nullus sanae frugis philosophus inficiatur.

Probatur contra fere omnes recentes Philosophos ¹. Si existentia unum, idemque esset cum essentia, haec sine illa intelligi non posset, quia essentia, ut diximus, consistit in *indivisibili*, ac proinde non potest intelligi, nisi omnia, quae ad eam spectant, intelligantur. Atqui indubium est nos posse intelligere essentiam alicuius rei, quin ipsam in rerum natura existere intelligamus ². Ergo essentia, et existentia non sunt unum, idemque, sed aliud est essentia, aliud vero existentia.

44. Praeterea, si existentia in rebus creatis esset unum, idemque cum essentia, res creatas per suam essentiam existere dicendum foret. Atqui hoc absurdum est; nam, cum res creatae non existant a se, sed a Deo ad existentiam perducantur, existentia non essentialiter, et necessario, sed tantum accidentaliter, et contingenter illis convenire potest. Ergo essentia ab existentia in rebus creatis realiter distinguitur necesse est ³.

45. Prop. 3^a. *Essentiae rerum, prout sunt in Intellectu Divino, sunt aeternae, necessariae et immutabiles.*

Probatur. Essentiae rerum, prout in Intellectu Divino sunt, ipsae Ideae Mentis Divinae sunt, secundum quas Deus res in propriis earum *rationibus* novit ⁴. Atqui ideae, secundum quas Deus res novit, sunt aeternae, necessariae, et immutabiles. Ergo essentiae rerum, prout sunt in Intellectu Divino, sunt aeternae, necessariae, et immutabiles.

46. Prop. 4^a. *Essentiae rerum, prout in rerum natura sunt, non sunt aeternae, sed in tempore.*

Probatur. Deus res in tempore condidit. Ergo essentiae rerum spectatae, prout in rerum natura existunt, non sunt aeternae, sed in tempore ⁵.

47. Prop. 5^a. *Essentiae rerum, prout sunt in rerum natura, sunt non absolute, sed hypotheticè necessariae, et immutabiles, si referantur ad Deum, a quo ad actum reducuntur: sunt autem*

¹ Ex his P. Palmieri (*Inst. Phil., Ontol., c. I, Thesis III*) opinionem s. Thomae, quam nos tuemur, *evidenter falsam* appellat.

² « Possum, ait s. Thomas, intelligere quid est homo, vel phoenix, et tamen ignorare, an esse habeat in rerum natura »; *De Ente, et essent.*, c. 5. — ³ *Contr. Gent.*, lib. II, c. 52, n. 7.

⁴ Cf s. Aug. *Lib. Qq. LXXXIII*, q. LXXVI.

⁵ Potest tamen eis attribui aeternitas *negativa*, quatenus nempe *non habent in se, quo determinantur ad aliquod tempus*; I, q. XVII, a. 7 ad 2.

absolute necessariae, et immutabiles ¹, si referantur ad principia, ex quibus constituuntur ².

Probatur 1^a pars, nempe non esse *absolute necessariae*. Deus ex libera sua voluntate res creavit. Ergo essentiae rerum, prout in natura existunt, si referantur ad Deum, a quo ad actum reducuntur, non sunt *absolute necessariae*.

48. *Probatur* 2^a pars, nempe esse *hypotheticè necessariae*. Res per essentiam suam sunt id, quod sunt. Ergo, etiamsi Deus potuisset res non creare, tamen, posita earum creatione, ipsae essentiis suis nequeunt destitui, novasque acquirere, alioquin simul essent, et non essent.

49. *Probatur* 3^a pars. Illud *absolute necessarium* dicitur, cuius oppositum repugnat. Atqui repugnat essentiam iis principiis destitui, ex quibus constat, quippe quod simul esset, et non esset, scilicet esset, quatenus sumitur esse, simulque non esset, quia non haberet principia, ex quibus constituitur. E.g., triangulum, quod quatuor lateribus, et quatuor angulis constaret, esset simul, et non esset, quia triangulum, quod plus, quam tria latera, et tres angulos habet, triangulum dici nequit. Ergo essentiae, si ad principia proxima, ex quibus constant, referantur, *absolute necessariae* sunt. Quod de necessitate essentiarum demonstratum est, ad earum immutabilitatem quoque spectat, quia illud, quod est necessarium, esse nequit aliter, ac est, et ideo immutabile est ³.

CAPVT III.

De proprietatibus omnium entium communibus, et primum de unitate

50. Tres a Philosophis maxime generales proprietates entis distinguuntur, *unitas* nempe, *veritas*, et *bonitas*, cum qua *pulchritudo* arte coniungitur. Hae vocantur *transcendentales*, ut distinguantur ab attributis *categoricis*, iis nempe, quae certo quodam genere, sive *categoria* continentur.

¹ Necessitas alicuius rei potest esse vel *absoluta*, hoc est, eiusmodi, ut a nulla hypothesi, seu conditione pendeat, vel *hypothetica*, hoc est, eiusmodi, ut, non nisi statuta aliqua conditione, existat.

² Cf s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. II, c. 30, n. 4.

³ Ex his, quae demonstravimus, facile est redarguere errorem Cartesii, qui sensit (*Répons. aux sixièm. object.*, § 6) essentias rerum a libera volun-

ART. I. *Ea exponuntur, quae proprie ad unitatem spectant*

51. Unum, ut s. Thomas advertit, nihil aliud significat, quam *ens indivisum*¹; unde haec est vera definitio unius: *Unum est ens, quod non dividitur*². Exinde intelligitur unum non addere enti aliquid reale, sed tantum aliquam negationem, quia ipsum, cum non aliud significet, nisi ens indivisum, divisionem entis negat³. Cave tamen ne inde inferas conceptum unius esse negativum. Nam unum, cum significet ens, quod est indivisum, significat principaliter ens, sive substantiam, et secundo negationem divisionis, ac proinde eius conceptus non est negativus, sed affirmativus⁴.

52. His praestitatis, demonstrandum nobis est unitatem esse proprietatem omni enti communem.

Prop. *Omne ens est unum.*

Probat. Omne ens per suam essentiam est id, quod est. Atqui essentia est id, quo unumquodque ens ab aliis distinguitur, et ens ex hoc ipso, quod ab aliis distinguitur, est indivisum in se. Ergo omne ens est indivisum in se. Atqui ens, prout est indivisum in se, est unum. Ergo omne ens est unum⁵.

53. Hanc ob rationem unum cum ente *converti* dicitur⁶; nempe, ut Scotus ait, « eodem est aliquid ens, et unum⁷ ». Etenim, omne ens per essentiam suam est unum; itemque per essentiam est id, quod est; quapropter ex eo, quod est ens, est unum, atque ex eo, quod est unum, est ens⁸.

tate Dei pendere, ita ut essentiae rerum, quas Deus condidit, possent aliter se habere, quam se habent. Sed de his in *Theologia naturali*. Hic tantum adnotatum volumus, hanc Cartesii sententiam, ut ipse Baylius (*Dict.*, art. *Spinoza*) scripsit, ad *interitum metaphysicae* viam sternere. Nam scientiarum, quae circa rerum essentias versantur, obiectum non iam necessarium et immutabile foret, sed mutabile et contingens; huiusmodi enim est id quod a libera voluntate Dei pendet.

¹ I, q. XI, a. 1 c.

² *In lib. I Sent.*, Dist. XXIV, q. 1, a. 3 ad 2.

³ I, q. XI, loc. cit. — ⁴ *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 7 c.

⁵ Cf s. Thom., *Quodlib.* VI, a. 1 c. — ⁶ I, q. XI, loc. cit.

⁷ *In lib. I Sent.*, Dist. II, q. 2. Cf s. Aug., *De mor. Man.*, lib. II, c. 6, n. 8.

⁸ Ex his, quae diximus, satis patet discrimen inter hanc unitatem *transcendentalem*, et *unitatem*, quae est principium numeri; haec enim, ut s. Thomas inquit, « addit aliquid supra ens ad genus quantitatis pertinens »; I, q. XI, a. 1 ad 1.

54. Quoniam unum cum ente convertitur, et entis plura sunt genera, plura etiam genera unitatis ab se discriminari oportet. Ex his praecipue explicanda nobis est unitas *simplicitatis*, et unitas *compositionis*.

Unum unitate *simplicitatis* dicitur illud, quod non solum *actu* est indivisum, sed etiam *potentia*. Haec unitas entibus simplicibus convenit, siquidem ipsa, cum careant partibus, non solum re ipsa non sunt divisa, sed ne dividi quidem possunt. Ipsa autem maior, vel minor est, quo maiori, vel minori simplicitate ens gaudet. Hinc Deus est maxime unus, quia, ut alias ostendimus, non modo compositionem partium, sed quamlibet aliam compositionem respuit.

55. Unum vero unitate *compositionis* dicitur illud, quod est in se indivisum *actu*, non vero *potentia*. Eiusmodi sunt entia, quae ex partibus componuntur, ipsa enim, dum in se sunt indivisa, dividi possunt. Ita homo est unus unitate *compositionis*, quia anima, et corpus, ex quibus ipse componitur, aliquid in se *actu* indivisum constituunt, sed eiusmodi sunt, ut ab se dividi queant¹.

56. Illud autem advertendum est, hanc unitatem *compositionis* ad illa entia proprie pertinere, quae constant ex partibus, quarum una ab altera, veluti potentia ab actu, perficitur, quae idcirco unicam substantiam completam constituunt, unamque existentiam habent. Quare huiusmodi entibus, aequae ac iis, quae compositionis partium sunt expertia, unitas *per se* convenire dicitur. E. g., homo est unus *per se*, quia ex anima et corpore in unicam substantiam perfectam coalescit. E contrario, illud ens, quod ex partibus componitur, quarum una ab alia non perficitur, sed distinctam existentiam habent, dicitur unum *per accidens*. Hoc modo unus dicitur *exercitus*, quia unusquisque militum, ex quibus componitur, est per se substantia completa, atque existentiam a ceteris militibus distinctam habet.

ART. II. *De identitate, et distinctione*

57. *Identitas* in eo consistit, quod ens cum seipso consentit. Ipsa oritur ex unitate entis, nempe ex eo, quod omne ens est

¹ Recentes priorem unitatem *metaphysicam*, et posteriorem *physicam* appellarunt.

indivisum in se, sequitur omne ens cum se ipso consentire, ac proinde esse *idem* sibi ¹.

58. Quod si identitas indivisionem, nempe, ut Aristoteles subdit ², *unitatem ipsius esse*, in sui conceptu includit, patet identitatem proprie eam esse, quae consideratur in aliqua re, prout est in se ipsa, seu respectu sui ipsius. Quocirca illa identitas, quae consideratur in aliqua re, prout cum alia comparatur, e. g., cum cogitamus Petrum idem specie esse cum aliis hominibus, et idem genere cum brutis, non est proprie, et stricte identitas, sed tantum secundum aliquam rationem, quippe quod non unitatem ipsius *esse*, sed potius convenientiam plurium rerum in aliquo uno denotat ³.

59. Identitati opponitur *distinctio*, quae consistit in eo, quod unum ens non est aliud. Iam duplex distinctio est admittenda, scilicet *realis*, et *logica*. Distinctio realis inter res existit, cum una res non est alia, sed duae res sunt; *logica* autem, seu *rationis* est, cum intellectus rem in se unicam in varios conceptus distinguit. Prior vocatur *realis*, quia in rebus re ipsa invenitur; posterior autem dicitur *logica*, quia per considerationem intellectus efficitur.

60. Utraque distinctio in alias dividitur. Distinctio realis est vel *substantialis*, vel *modalis*. Distinctio substantialis ea est, quae intercedit vel inter substantias separatas, e. g., inter *Petrum* et *Paulum*, vel inter principia, quae substantiam compositam constituunt, e. g., inter *animam humanam*, et *corpus*, quae *hominem* efficiunt, quia, etsi huiusmodi principia unicam substantiam completam constituunt, tamen singula per se separatim spectata substantiae sunt. Distinctio modalis autem ea est, quae inter substantiam, et quemlibet modum eius, vel inter modos eiusdem substantiae viget. Huiusmodi distinctio inter corpus, eiusque extensionem, necnon inter extensionem et figuram existit ⁴.

¹ Cf. B. Alb. M., *Met.* lib. X, c. 2. — ² *Met.*, lib. V, c. 9.

³ De creaturis hic loquimur; quocirca omittimus identitatem trium Divinarum Personarum in una numero Essentia.

⁴ Hic non loquimur de distinctione reali, qua Tres Personae Divinae inter se distinguuntur; ea enim, ut Theologi docent, non nisi ex oppositione relationis oriri potest, quatenus nempe Pater relative opponitur Filio, et Pater Filiusque relative opponuntur Spiritui S., cuius unicum principium sunt.

61. Item, distinctio *rationis* duplex est, nempe una, quae in intellectu dumtaxat existit, et dicitur distinctio *rationis ratiocinantis*; altera, quae, dum opus intellectus est, in natura rerum fundatur, et dicitur *rationis ratiocinatae*. Etenim intellectus interdum quaedam inter se distinguit, quae in se unum sunt, quin in hoc uno ulla ratio sit, ob quam illa possint ab eo distingui, e. g., si *Petrum*, *Cepham*, et *Barionam*, seu filium Ionae distinguit. Interdum vero plura inter se distinguit, quae unum re ipsa sunt, sed hoc unum intellectui praebet fundamentum plura in ipso distinguendi. E. g., si intellectus distinguit in anima humana tria principia, scilicet *rationale*, *sensitivum*, et *vegetativum*, fundamentum huius distinctionis in ipsa anima invenit, quia anima humana, quamvis sit re ipsa unicum principium, tamen triplicem virtutem exercet, scilicet rationalem, sensitivam, et vegetativam. Haec altera distinctio *rationis* appellatur etiam *virtualis*, quia obiectum, in quo intellectus plura distinguit, etsi unum revera sit, tamen virtute multis aequivalet, ideoque intellectui fundamentum ad efformandos plures conceptus obiectivos illius praebet.

62. Praeter has distinctionis species Scotus distinctionem *formalem* invenit. Haec, secundum Doctorem Subtilem, intercedit inter eas entitates, seu, ut ipse ait, formas, quarum una concipitur ab intellectu sine altera, ita tamen, ut ipsae neque *realiter*, neque dumtaxat *ratione* ab individuo, in quo sunt, atque inter se distinguantur. Non *realiter*, quia ipsae una res cum individuo sunt. Non *ratione* dumtaxat, quia ante omnem actionem intellectus ab individuo, atque a seipsis invicem distinguuntur. E. g., *esse hominem*, et *esse animal* in Petro, non distinguuntur *realiter*, quia neque ab ipso Petro, neque a se mutuo separari possunt, neque distinguuntur dumtaxat *ratione*, quia, secluso omni opere intellectus, a Petro, et inter se distinguuntur. Quocirca ea distinguuntur *formaliter*, quatenus diversis conceptibus attingi queunt, ut horum unum clare intelligatur, altero non intellecto ¹.

63. Prop. *Distinctio formalis Scoti, si alia, quam virtualis, esse dicatur, absurda est.*

Probatur. Non alia distinctio extra intellectum inveniri potest, quam quae inter res viget, quia quidquid extra intellectum est,

¹ *Super univers. Porphy.*, passim.

aliquid reale sit oportet. Atqui distinctio formalis, eodem Scoto docente, non est distinctio, quae in intellectu dumtaxat invenitur. Ergo distinctio formalis Scoti debet esse distinctio, quae inter res existit. Atqui ipsa nequit esse distinctio, quae inter substantias ab se disiunctas locum habet, quia diversae entitates, sive formae in eodem individuo, secundum Scotum, neque inter se invicem, neque ab individuo, in quo sunt, realiter distinguuntur. Ergo restat, ut sit ea distinctio, quae ab intellectu in re una, sed pluribus aequivalente fit¹, nempe distinctio virtualis. Quare distinctio formalis a Scoto conficta, si alia, quam virtualis, esse dicatur, intelligi non potest.

ART. III. De entium diversitate, similitudine, et aequalitate

64. Ea, quae inter se distinguuntur, si eo respectu considerentur, quo essentia unius non est essentia alterius, *diversa* vel *differentia* dicuntur; *diversa*, si considerentur tantum quatenus essentia unius non est id, quod est essentia alterius; *differentia* vero, si consideretur aliquid in eis commune, quod in uno, secus ac in alio, *essentialiter* determinatur². E. g., si consideretur *hominem* non esse id, quod est *brutum*, et *brutum* non esse id, quod est *homo*, *homo*, et *brutum* veluti quaedam res diversae intelliguntur; sin in homine, et bruto consideretur *animalitas*, quae per *rationalitatem* determinatur in homine, et per *irrationalitatem* in bruto, *homo*, et *brutum* intelliguntur veluti duae res differentes³.

65. Insuper ea, quae inter se distinguuntur, possunt esse *similia*, vel *dissimilia*, prout qualitatibus, et *aequalia*, vel *inaequalia*, prout quantitate conveniunt, vel discrepant. E. g., ex

¹ Haec plura ante actionem intellectus habent fundamentum in ipsa re, ut ab eo distingui possint, sed veluti distincta inter se, et a re, in qua sunt, non nisi ab intellectu concipiuntur.

² Cf. s. Thom., *Qq. disp.*, De Pot., q. VII, a. 3 ad 2. Etsi *diversitas* etiam ex accidentibus effici possit, tamen vera, et proprie sumta diversitas ea est, quae ab essentia efficitur. « Diversitas, inquit s. Bonaventura, attenditur secundum principia essentialia, sive substantialia »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. I, a. 1 *resol.* Idem dicatur de *differentia*, quia sola *differentia* specifica nomen *differentiae* stricte sumtae meretur.

³ Advertendum est nos hic loqui de rebus creatis; nam tres Personae Divinae, etsi sint realiter distinctae, tamen nec diversae, nec differentes dici possunt.

albedine lac nihi simile esse, et ex quantitate triangulum quadrato aequale esse dicimus. Itaque *similia* ea dicuntur, quae in qualitatibus conveniunt, nempe vel quatenus eiusdem qualitatis participes sunt, vel quatenus qualitas eodem gradu in eis invenitur⁴, vel etiam quatenus aliqua res quodammodo particeps est illius qualitatis, quae secundum ipsam suam essentiam in alia re est, e. g., *si corpus mixtum igneitate diceretur simile ipsi igni*⁵. Haec postrema ratio similitudinem inter creaturas, et Deum constituit⁶. *Aequalia* autem ea dicuntur, quae vel in quantitate *dimensiva* conveniunt, vel in iis perfectionibus, ex quibus quantitas *virtualis* oritur⁴.

66. Hac in re illa quaestio dirimenda nobis est, num dentur, aut dari queant duo entia perfecte similia.

Leibnitiu praecipue inter recentes utrumque praefraete negavit; nam arbitratus est non existere in mundo, neque existere posse duo perfecte similia⁵.

67. Leibnitiu, eiusque asseclas omnino hallucinatos esse his duabus propositionibus evincitur:

Prop. 1^a. *Definiri nequit, utrum, necne duo perfecte similia in mundo existant.*

Probatu. Similitudo perfecta duorum entium ex postulat ipsorum consensum tum in cunctis qualitatibus, tum in harum gradibus. Atqui haud possibile est et omnia, quae in mundo sunt, observatione complecti, et ea, quae observari possunt, adeo intraspicere, ut non modo num in cunctis suis qualitatibus, sed etiam num in gradibus ipsarum consentiant, nobis pateat. Ergo definiri nequit, utrum, necne duo perfecte similia in mundo existant⁶.

¹ 1^a 2^{ae}, q. LII, a. 3 c.—² *In lib. I Sent.*, Dist. XLVIII, q. I, a. 1 *sol.*

³ Cf. s. Thom., *ibid.*, et s. Aug., *Qq. LXXXIII*, q. LI, n. 2.

⁴ De quantitate *dimensiva*, et *virtuali*, cf. *Log.*, p. I, c. I, art. 7, p. 16-17, vol. I.

⁵ Vid. *Lettres entre Leibniz, et Clarke*, 3^e *Ecrit.*, § 5, 4^e *Ecrit.*, § 6. Leibnitiu hanc suam doctrinam *principium indiscernibilium* vocavit, quia si duo perfecte similia darentur, ea ab se discerni non possent.

⁶ Hic non loquimur de similitudine in universum sumta, quae in eo consistit, quod duo, vel plura entia qualitates *specifice* easdem habent. Dubitari enim nequit, quin plurima hac ratione similia in mundo existant. Re vera, quis, nisi scepticus, dubitare potest, quin aqua sit aquae similis, ignis igni, aliaque eiusmodi? Quis unquam negabit similes esse fru-

68. Prop. 2^a. *Impossibile non est duo perfecte similia existere. Probatur.* Illud, quod est impossibile, ne mente quidem cogitari potest. Atqui perfectam similitudinem duorum entium concipere nobis licet; nam qualitates, quae in una re sunt, in alia etiam, atque in eodem gradu, ac in illa, cogitare possumus. Ergo perfecta similitudo duorum entium non est impossibilis.

69. Obiic. 1^o Si Deus duas res perfecte similes crearet, aliquid sine ratione sufficiente ageret, quia nulla ratio existentiae utriusque excogitari potest. Atqui Deus, utpote sapientissimus, aliquid sine ratione sufficiente agere non potest. Ergo.

70. Resp., *Neg. mai.*; *conc. min.*; *neg. cons.* Propositio maior falsa est, tum quia ratio, ob quam Deus res extra se producit, uti alias ostendemus, in ipso Deo quaerenda est, tum quia, si haec ratio in rebus quaeratur, nihil causae est, cur valde dissimilia, non vero perfecte similia ad ordinem mundi efficiendum aliquid conferant.

71. Obiic. 2^o Si duo perfecte similia existerent, unum ab altero nullo modo differret. Atqui duo, quae inter se nullo modo differunt, sunt una, eademque res. Ergo.

72. Resp., *Neg. mai.* Etenim, etsi duo perfecte similia secundum qualitates, harumque gradus non differant, tamen secundum substantiam unum eorum non est aliud. Ex quo vides hac obiectione notiones *identitatis*, et *similitudinis* ab adversariis perperam confundi. Audiatur s. Thomas: « Identitas ponit unitatem in essentia secundum numerum... aequalitas, et similitudo... non important unitatem quantitatis, vel qualitatis in numero, sed sufficit quod sint idem specie. Haec autem unitas est in diversis suppositis; et ideo aequalitas, et similitudo simul cum unitate important distinctionem ⁴ ».

ART. IV. De entium oppositione

73. Superest, ut de rerum *oppositione* aliquid innuamus; siquidem « distinctio aliquorum, aiente Aquinate, habentium unam naturam saltem generis, esse non potest, nisi ratione alicuius oppositionis: unde invenimus quod cuiuslibet generis dif-

etus, quos plantae eiusdem speciei producant, aut similes esse partus, quos bruta eiusdem speciei edunt ?

⁴ *In lib. I Sent., Dist. XIX, q. I, a. 1 ad 2.*

ferentiae sunt oppositae ¹ ». Iam *opposita* ea dicuntur, quae aliqua ratione secum pugnant ²; et quoniam diversa est ratio, ex qua haec repugnantia effici potest, diversae oppositionis species existunt. Enimvero oppositio rerum vel ex relatione unius ad alteram, vel ex eo, quod una alteram excludit, enascitur. Si primum, oppositio dicitur *relativa*. Huiusmodi oppositio appellatur *minima*, quia distinguit tantum duo extrema, inter quae intercedit ³. Sin alterum, ea potest esse aut *contraria*, aut *privativa*, aut *contradictoria*.

74. Oppositio contraria inter ea existit, quae se ab eodem subiecto invicem expellunt; e. g., contrarie opposita sunt *calor*, et *frigus*, quia fieri nequit, ut idem corpus sit simul calidum, et frigidum. Ex quo perspicitur contraria esse non posse, nisi quae ob diversitatem formae inter se differunt. Unde s. Thomas: « Contrarietas est differentia secundum formam ⁴ ». Oppositio *privativa* est inter aliquam qualitatem, quam natura alicuius subiecti ex postulat, et illius qualitatis defectum, e. g., inter visum, et caecitatem in homine. Denique oppositio *contradictoria* est repugnantia inter ens, et non ens. Quare contradictorie opposita eiusmodi sunt, ut nullum medium inter ea existere possit, quia nihil medii est inter *esse*, et *non esse* rei.

CAPVT IV.

De veritate entium

ART. I. Explicantur nonnullae notiones circa veritatem

75. Veritas spectat *esse* rerum, prout istud ad intellectum aliquo modo refertur. Quapropter veritas in universum considerata definitur: *Adequatio*, sive *convenientia rei, et intellectus*; et falsitas: *inaequalitas rei, et intellectus* ⁵.

76. Iam res ad intellectum referri possunt vel quatenus ab illo producuntur, vel dumtaxat quatenus ab ipso cognoscuntur. E. g., omnes res naturales referuntur ad Intellectum Divinum prio-

¹ *Qq. dispp., De Pot., q. X, a. 5 c.*

² De rerum oppositione hic loquimur, non vero de oppositione enunciationum, de qua vid. *Log.*, par. I, c. II, art. 6, p. 33, vol. I.

³ Haec oppositio, uti paulo ante adnotavimus, realem distinctionem inter Personas Divinas constituit.

⁴ *1^a 2^{ae}, q. XXXV, a. 4 c. — 5 I, q. XVI, a. 1 c.*